

DOMINICA II DE ADVENTU

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

Evangelium in secunda dominica de Adventu: *Cum audisset Ioannes, quod in tribus clausulis dividitur.*

In primis thema sermonis in capite ieiunii, ibi: *Excutere de pulvere* et [DE PRIMA CLAUSULA] de peccatorum quaternario, ibi: *Vae genti peccatrici.*

DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis contra superbos, ibi: *Quis caecus.*

Item contra hypocritam, ibi: *Claudi ambulant.*

Item contra luxuriosos, ibi: *Naaman erat vir magnus.*

Item contra avaros, ibi: *Surdi audiunt.*

Item contra gulosos, ibi: *Mortui resurgunt.*

Item ad pauperes spiritu, religiosos vel claustrales, ibi: *Consolabitur Dominus Sion.*

DE TERTIA CLAUSULA. Sermo moralis et specialis ad claustrales et religiosos, ibi: *Quid existis*, et cetera quae in eodem sequuntur.

Exordium. Sermo in capite ieiunii

1. --- In illo tempore: *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi* etc. (Mt 11, 2).

Dicit Isaias: *Excutere de pulvere, consurge, sede, Ierusalem! solve vincula colli tui, captiva filia Sion* (Is 52, 2). Nota ista quattuor verba: excutere, consurge, sede, solve. Pulvis dictus, quod pulsetur vi venti, est carnis concupiscentia, quae, impulsu diabolicae suggestionis, rapitur per diversa peccata. Unde Iob: *Tollet eum ventus*

urens (Iob 27, 21). De hoc pulvere dicit Isaias: Serpenti, idest diabolo, pulvis panis erit (Is I.c.). Ne ergo, Ierusalem, idest anima, te diabolus cum pulvere comedat, excutere de pulvere, idest tuae carnis voluptate. Excutite, inquit Dominus, pulverem de pedibus vestris (Mt 10, 14). Numquid pulvis confitebitur tibi? (Ps 29, 10). Consurge, idest simul surge, mente scilicet et corpore, ad opera poenitentiae. Hoc est quod dicit Salomon: Aufer rubiginem de argento, hoc est excutere de pulvere; et egredietur vas purissimum (Prov 25, 4), hoc est consurge, sede, idest quiesce, a tumultu saecularium. Unde Ieremias: Sedebit solitarius et tacebit (Lam 3, 28). Et Isaias: Si revertamini et quiescatis, salvi eritis (Is 30, 15). Solve vincula colli tui etc. Respondent ultima primis. Eadem inculcat, ut firmiter memoriae inhaereant. Carnis voluptas et mundi vanitas sunt vincula, quibus anima, ad collum ligata, tenetur captiva, ne valeat exire in libertatem confessionis. Solve ergo vincula colli tui. De quibus vinculis dicitur in hodierno Evangelio: Cum audisset Iohannes in vinculis opera Christi etc.

2. --- Nota quod in hoc Evangelio tria notantur. Primum, Iohannis incarceration, ibi: *Cum audisset*. Secundum, miraculorum Christi operatio, ibi: *Euntes renuntiate*. Tertio, beati Iohannis commendatio, ibi: *Quid existis* etc.

Introitus missae cantatur: *Populus Sion*. Et legitur epistola beati Pauli ad Romanos: *Quaecumque scripta sunt*. Quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus Evangelii clausulis concordare. Prima particula est: *Quaecumque*. Secunda: *Suscipite invicem*. Tertia: *Deus autem spei*.

I - De Iohannis incarceratione

3. --- Dicamus ergo: *Cum audisset Iohannes in vinculis*

opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: Tu es qui venturus es? an alium expectamus? (Mt 11, 2-3). Dicitur in eodem Evangelista, quod Herodes tenuit Ioannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiam uxorem fratris sui. Dicebat illi Ioannes: Non licet tibi habere eam (Mt 14, 3-4). Nota. Quid Herodes et Herodias, quid Ioannes et eius vincula, quid duo discipuli moraliter significant, videamus. Herodes est mundus; Herodias, caro; Ioannes, hominis spiritus; vincula, vanitas et voluptas; duo discipuli, spes et timor.

Herodes et Herodias interpretatur gloria pellis. Mundus et caro in exteriori pulchritudine habent gloriam. De qua Isaias: *Quid facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugietis auxilium? Et ubi derelinquetis gloriam vestram? (Is 10,3). Et iterum: Subtus, idest in inferno, gloria eius, idest mundi et carnis, succensa ardebit quasi combustio ignis (Is 10, 16). Unde iterum dicit: Quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam, idest in infernum - quae dilatavit animam suam et aperuit os suum absque ullo termino (Is 5,14) -, ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae (Is 22,18).*

Ioannes interpretatur Domini gratia, et significat hominis spiritum, qui gratiam Domini in Baptismo suscepit. Unde habes concordantiam in Isaias: *Effundam super sitientem aquam, et fluentia super aridam. Effundam super semen tuum spiritum meum et benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta praeterfluentes aquas. Iste dicet: Domini ego sum: et ille vocabit in nomine Iacob; et hic scribet manu sua: Domino; et in nomine Israel assimilabitur (Is 44,3-5). Sitiens et arida est anima ante Baptismum. Erasmus, inquit Apostolus, natura filii irae (Eph 2, 3). Sed Dominus, effundens aquam baptismalem, effundit spiritum et benedictionem suam, ut de filiis irae*

faciat filios gratiae, et sint semen et stirps, idest filii sanctae Ecclesiae, et germinent inter herbas, idest sanctos, quasi salices, idest fide, virtutibus virentes, iuxta praeterfluentes aquas, idest charismata gratiarum. *Iste dicet: Domini ego sum.* Ecce Ioannes, ecce Domini gratia. *Et ille, idest alius fidelis, vocabit, ad poenitentiam, sicut fecit Ioannes, in nomine Iacob, idest ut vitia supplantet. Et hic, idest idem, scribet manu sua, idest opere suo: Domino, idest ad honorem Domini. Et in nomine Israel assimilabitur, idest secundum nomen Israel, scilicet vir videns Deum, nunc fide et spe, tandem ipsa re.*

4. --- Hunc Ioannem, sic Domini gratia illuminatum, Herodes et Herodias, idest mundus et caro, alligant suis vinculis: mundus vanitate, caro voluptate. Mundi vanitas consistit in superbia et avaritia; carnis voluptas in gula et luxuria. De his quattuor dicit Isaias: *Vae genti peccatrici, peccato superbiae, populo gravi iniquitate, avaritiae, semini nequam, gulae, filiis sceleratis (Is 1, 4), luxuriae.* Ecce quibus vinculis noster spiritus captus tenetur.

Sed, inter haec quid debet facere? Illud scilicet quod dicitur in hodierno Evangelio: *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi* etc. Opera Christi sunt creatio et recreatio. De quibus habes concordantiam in Isaia: *Cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris* - in quibus quinque sensuum delectatio, ut longe superius dictum est (*Dominica I post Pentecosten, prima clausula*), designatur -, *et opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis (Is 5, 12).* Opus Domini, creatio; quae, bene considerata, suum inspectorem transmittit ad sui Creatoris considerationem. Si tanta pulchritudo in creatura, quanta est in Creatore? Opificis sapientia resplendet in materia. Sed hoc sensibus dediti non respiciunt. *Nec opera manuum eius, quae clavis in cruce fuerunt perforatae, considerantur.* Affixis enim manibus in cruce diabolum debellavit et humanum genus

de eius manibus eripuit.

Haec opera Christi cum spiritus noster audit, positus in vinculis, statim debet mittere duos de discipulis. Audit, inquam, interius aure cordis ab inspiratione Spiritus inspirantis, vel exterius aure corporis a voce praedicantis. Cum sic audit, spem et timorem debet ad Iesum mittere, dicens illi: *Tu es qui me creasti et recreasti, fecisti et redemisti - et in hoc mihi spes de tua misericordia -, venturus es me iudicare secundum mea opera - et in hoc timor de tua iustitia -, an alium expectamus, orbem terrae in aequitate iudicaturum? Non utique! Qui enim fecit et redemit, ipse et iudicabit. Omne, inquit, iudicium dedit Filio (Io 5, 22) .*

5. --- Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: *Quaecumque scripta sunt* etc. (Rom 15,4). Unde Dominus ad Isaiam: *Nunc ingressus scribe eis super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo testimonium usque in aeternum (Is 30,8). Super buxum, inquit, ut scilicet in perpetuum maneat. Summa omnium quae ad nostram doctrinam scripta sunt in tribus maxime consistit, scilicet creatione, redemptione, ultimi iudicii examine. Creatio et redemptio docent nos Deum amare, ultimum iudicium docet nos ipsum timere. Ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus (Rom l.c.). Audi quomodo Scriptura consolatur tribulationem patientem. Ait Dominus in Isaia: *Cum transieris per aquam, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit te. Quia ego Dominus Deus tuus (Is 43, 2-3). Et iterum: Noli timere, vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel. Ego auxiliatus sum tui, dicit Dominus, et redemptor tuus sanctus Israel (Is 41, 14). Et iterum: Ego ipse consolabor vos. Quis tu, ut timeas ab homine mortali et a filio hominis, qui quasi foenum ita arescet? (Is 51, 12).**

Sequitur: *Deus autem patientiae, qui dicit in Isaia: Tacui, silui, patiens fui (Is 42,14), et solatii, qui iterum dicit: Consolabor vos et in Ierusalem consolabimini. Videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt (Is 66, 13-14), idest corpora vestra reviviscent in immortalitate det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi (Rom 15, 5-6). Hoc est quod dicit Isaia: Duo Seraphim clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius (Is 6,3). Seraphim interpretatur ardentia. Seraphim sunt illi qui alterna ardent caritate, qui idipsum, idest unum et idem, sapiunt secundum Iesum Christum. Cum ergo dicit: Det vobis Deus idipsum sapere in alterutrum, hoc est: Duo Seraphim clamabant alter ad alterum; cum addit: ut unanimes uno ore honorificetis etc, hoc est: Et dicebant: Sanctus, sanctus etc.*

Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut spiritum nostrum a vinculis mundi et carnis liberet, qua uno animo, uno ore, ipsum honorificare et glorificare valeamus, cuius gloria plena est omnis terra. Ipsi honor et gloria per aeterna saecula. Amen.

II - De Christi miraculorum operatione

6. --- Sequitur secundum. *Euntes renuntiate Iohanni quae audistis et vidistis (Mt 11, 4)*. Hic destruitur error haereticorum, qui dicunt Iohannem esse damnatura, eo quod de Christo dubitaverit, *dicens: Tu es qui venturus es?* et in illa dubitatio ne fuisse in carcere mortuum, ante discipulorum quos miserat reditum. Obmutescat lingua maledicta. Iohannes de Christo non dubitavit, cui testimonium perhibuit: *Ecce agnus Dei! (Io 1, 36)*. Sed, ut suos discipulos in Christi fide confirmaret, mittens

interrogavit, ut, ipsius visis miraculis, de cetero non dubitarent. Unde Dominus non ad interrogationem loannis, sed ut eius corda discipulorum confirmaret, respondit, dicens: *Caeci vident* etc. (Mt 11, 5). Dicit GREGORIUS: loannes ipsum redemptorem mundi esse non dubitat, sed quaerit, ut sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat.

Hoc etiam quod obiciunt, quod ante reditum discipulorum mortuus fuerit, ex sancti Evangelii verbis aperte ostenditur esse falsum. Aut Dominus discipulis loannis impossibile praecepit aut possibile, cum dixit: *Ite, renuntiate*. Dominus numquam praecepit impossibile. Sed si loannes, antequam discipuli redirent, mortuus fuerit in carcere, Dominus impossibile praecepit: *Ite, renuntiate*. Cui renuntiarent? Mortuo? Non utique. Constat ergo quod discipuli loannem vivum invenerunt, cui audita et visa renuntiaverunt. Dominus enim semper possibile praecepit.

Sequitur: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur (Mt l.c.)*. Quid ista sex moraliter significant videamus. Caeci sunt superbi, claudi hypocritae, leprosi luxuriosi, surdi avari, mortui gulosi, pauperes humiles.

7. --- *Caeci vident*. Hoc est quod dicit Isaias: *De tenebris et caligine oculi caecorum videbunt (Is 29, 18)*. Idem dicit: *Quis caecus, nisi qui venundatus est? Et quis caecus nisi servus Domini? Qui vides multa, nonne custodies? (Is 42, 19-20)*. Qui sunt hodie caeci, idest superbi, nisi illi qui vocantur servi Domini et videntur servire Domino, idest religiosi et clerici? Qui sunt superbi, nisi qui multa vident in Scripturis, qui multa docent et praedicant, et nihil custodiunt? Aliis vident multa, sed sibi nulla.

De omnium istorum superbia, sub typo *vallis visionis* (*Is 22, 1*), dicit Isaias: *Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti et tu in tecta, clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans? (Is 22, 1-2)*. Quasi diceret: Tolerabile est si sublimia appetant saeculares, sed quid vobis religiosi et litteratis, qui multa videtis, visum est, ut et vos sublimia appetatis et in tecta superbiae ascendatis clamoris plena? Superbia enim clamosa est. Unde Isaias: *Vae multitudini populorum multorum, ut multitudo sonantis maris (Is 17, 12)*.

E contra de humili Christo dicit Isaias: *Non clamabit, neque audietur foris vox eius (Is 42, 2)*. *Urbs frequens*, idest populosa, *civitas exultans*. De qua Isaias: *Super humum populi mei*, idest mentem humilium, *spinae et vepres*, idest punctiones et dolores, *ascendent; quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis? (Is l.c.)* scilicet in sua superbia, quae excaecat oculos mentis, ne videat aeterni gaudii civitatem. De qua Isaias: *Respice Sion, civitatem solemnitatis nostrae: oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam (Is 33, 20)*. Quam ut videre valeas, collyrio humilitatis inunge oculos tuos, et audire mereberis: *Respice, humilitas tua te illuminavit. Caeci ergo vident*.

8. --- Sequitur: *Claudi ambulat*. Claudus dicitur, quasi clausus in eundo. Hypocrita in via suae conversationis clausus incedit. Qui enim male agit odit lucem, ne arguantur opera eius a lumine. Unde Isaias: *Vae qui profundi estis corde*, idest celantes iniquitatem vestram, *ut a Domino abscondatis consilium; quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos? et quis novit nos? (Is l.c.)*. Hypocrita claudicat uno pede. Unum enim pedem a terra suspendit et alium in terra ponit. Dum vilitas in veste, humilitas in voce, pallor in facie apparent, pedem a terra levat. Sed cum pro his laudari appetit, sanctus videri quaerit, tunc procul dubio alium pedem in

terra ponit.

Aliter. Dicitur in secundo libro Regum, quod Miphiboseth claudus erat utroque pede (Cf. 2 Reg 4, 4). Miphiboseth interpretatur vir confusionis, et significat illos qui claudi sunt utroque pede, affectu scilicet et effectu. Quibus qui claudicant, digni sunt aeterna confusione.

De qua Isaias: *Minabit rex Assyriorum captivitatem Aegypti et transmigrationem Aethiopiae, iuvenem et senem, nudam et discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti (Is 20, 4)..* Rex Assyriorum, idest diabolus *minabit* ad infernum *captivitatem Aegypti*, idest illos quos tenuit captivos in peccato, *et transmigrationem Aethiopiae*, idest illos qui de virtutibus ad vitia transmigrantur; *iuvenem*, idest malitia robustum, *et senem* dierum malorum inveteratum, *nudum* veste nuptiali, *discalceatum* hyacintho caelestis desiderii, quoad pedem affectus, unde Ezechiel: *Calceavi te hyacintho*, et calceamento mortificationis, quoad pedem effectus, unde in Ruth: *Tolle calceamentum tibi. Quod statim solvit de pede suo (Ruth 4, 8)*. Et, ut dicitur in Deuteronomio, domus talis vocabitur domus discalceati in Israel. *Discoopertis natibus*, ut omnibus eius appareat turpitudine, *minabit*, inquam, *ad ignominiam Aegypti*, idest amatorum huius mundi. Quam qui evadere desiderant, pedibus suis rectos gressus faciant, scilicet affectum bona voluntate et effectum operis humilitate calcient, et sic audire merebuntur: *Claudi ambulant*.

9. --- *Leprosi mundantur*. Dicitur in quarto libro Regum, quod Naaman erat vir magnus et dives, sed leprosus (Cf. 4 Reg 5, 1), quia ubi divitiarum et deliciarum affluentia, ibi luxuriae lepra. Unde Isaias, cum praemitteret: *Repleta est terra argento et auro, non est finis thesaurorum eius (Is 2, 7)*, statim addidit: *Et repleta*

est terra eius equis (Is 2, 8), idest luxuriosis. Unde dicitur in Exodo, quod ex auro formatus est vitulus, quia ex auro abundantiae formatur vitulus petulantis luxuriae. De quo Isaias: *Ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit, et consumet summitates eius (Is 27, 10)*. Hoc idem est quod dicit Iob de luxuria: *Ignis est usque ad consumptionem devorans, et omnia eradicans genimina (Iob 31, 12)*. *Lavamini, o leprosi, et mundi estote; auferite luxuriae malum cogitationum vestrarum ab oculis Domini; quiescite agere perverse (Is 1, 16)* in vestro corpore, ut de vobis dicatur: *Leprosi mundantur*.

10. --- Sequitur: *Surdi audiunt*. Hoc est quod dicit Isaias: *Audient in die illa surdi verba libri (Is 29, 18)*. Surdus dicitur, quasi sordidus; habet enim sordes in auribus, quibus oppilantur viae auditus. Surdi sunt avari et usurarii, quorum aures sunt obturatae sordibus pecuniae. Unde in Psalmo: *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae et obturantis aures suas (Ps 57, 5)*. Dicitur quod serpens, ne audiat vocem incantantis, unam aurem applicat terrae, et aliam obturat cauda. Auris dicta, quod avide rapiat, vel quod hauriat sonum. Infelix avarus vel usurarius tanto dono naturae et gratiae se privat; qui, ne verbum vitae avide rapiat, vel sonum praedicantis hauriat, aures cordis obturat, scilicet terra, idest amore pecuniae iam acquisitae, et cauda, idest turpi ambitione acquirendae. Qui huiusmodi sunt, si verba libri, idest Evangelii, quo dicitur: *Beati pauperes (Mt 5, 3)*, volunt audire, oportet eos a cordis auribus terram pecuniae, male acquisitae, excutere, et caudam acquirendae omnino extrahere. Et tunc de eis poterit dici: *Surdi audiunt*.

11. --- Sequitur: *Mortui resurgunt*. Hoc est quod dicit Isaias: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent (Is 26, 19)*. Mortui sunt gulosi. *Sepulcrum, inquit, patens guttur eorum (Ps 5, 11)*, quo velut mortui iacent sepulti. Unde

Isaias: *Verum hi quoque prae vino nescierunt, et prae ebrietate erraverunt; sacerdos et propheta nescierunt prae ebrietate, absorpti sunt a vino (Is 28, 7)*. Sicut offa, dum absorbet vinum, absorbetur a vino, et descendit ad fundum calicis; sic isti, dum absorbent, absorbentur, et in inferno sui ventris sepeliuntur. Dives, qui quotidie epulabatur splendide, in sua vita quodammodo sepultus erat in inferno. Lazarus vero mendicus foris ad ianuam, non intus, iacebat; extra ianuam, idest delectationem quinque sensuum, famelicus iacebat. Et Dominus, ut dicit Apostolus, extra portam passus est (Cf. Hebr 13, 12). Dives vero intra ianuam se quotidie sepeliebat in inferno. Et in inferno ventris, o Domine, quis confitebitur tibi? Neque mortui laudabunt te, Domine (Cf. Ps 113, 17).

Qui laudare volunt, de sepulcro gulae egrediantur; de tenebris et chao inferni, in lucem abstinentiae potus et cibi. De hoc Isaias: *Expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus (Is 26, 19)*. Sicut ros refrigerat ardorem et lux tenebras fugat, sic abstinentia ardorem gulae et vitiorum refrigerat, et mentis tenebras fugat. Et sic ad vitam *mortui resurgunt*.

12. --- Sequitur: *Pauperes evangelizantur*. De quibus Isaias: *Pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent (Is 14, 30)*; et iterum: *Addent mites in Domino laetitiam, et pauperes homines in sancto Israel exultabunt (Is 29, 19)*. Soli pauperes, idest humiles, evangelizantur, quia concavitas est receptiva infusorum, sed tumor infusa repellit. Qui sitit, inquit Dominus, veniat et bibat (Cf. Io 7, 37). Quia, ut ipse dicit in Isaia, *effundam aquam super sitientem, et fluenta super aridam (Is 44, 3)*. Verbum vitae, aquam salutaris sapientiae, sitiunt hodie pauperes, simplices, idiotae, rustici et vetulae. Cives vero Babyloniae, qui inebriantur aureo calice meretricis magnae, sapientes, consilarii Pharaonis, qui, ut dicitur in Iob, pleni sunt sermonibus et

coartat eos spiritus uteri sui, et venter eorum quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dissipat, credite mihi, quia non tales, sed soli *pauperes evangelizantur*.

13. --- Sequitur: *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me (Mt 11, 6)*. Christus est veritas. In Christo fuerunt paupertas, obedientia et humilitas. Qui in his vel de his scandalizatur, in Christo scandalizatur. Veri pauperes non scandalizantur, quia ipsi soli evangelizantur, idest verbo Evangelii pascuntur, quia ipsi populus Domini et oves pascuae eius (Cf. Ps 94, 7).

De quo populo cantatur in introitu hodiernae missae: Populus Sion, ecce Dominus veniet ad salvandas gentes - Hoc est quod dicit Isaias: *Primus ad Sion dicet: Ecce adsum, scilicet vobis in auxilium, et Ierusalem, idest Ecclesiae, evangelistam, idest bona nuntiantem, dabo, ut pauperes evangelizentur et gentes evangelio salventur -, et auditam faciet Dominus gloriam laudis suae in laetitia cordis vestri (Cf. Is 30, 30)*.

14. --- Hoc est quod dicit Isaias: *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas eius; et ponet desertum eius quasi delicias, et solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis (Is 51, 3)*. Sion interpretatur specula. Populus Sion sunt pauperes spiritu, qui, elevati a terrenis et in eminentiori paupertatis specula constituti, contemplantur Dei Filium, in via peregrinum, in patria gloriosum. Hanc Sion consolatur Dominus; desolatos temporalibus bonis consolatur Dominus suis, unde addit: *Et consolabitur omnes ruinas eius*. Cum mundanae consolationis ruit aedificium, statim Dominus erigit internae consolationis domum. *Et ponet desertum eius quasi delicias*. Desertum enim exterioris paupertatis facit delicias internae suavitatis. Dominus huius mundi divitias

vocat spinas (Cf. Mt 13, 22). Isaias desertum paupertatis vocat delicias. O spinae mundi! O deliciae deserti! Quantum distat veritas a falso, lux a tenebris, gloria a poena, tanta inter vos differentia. Ista delicias, illae sauciant. In his requies, in illis *vanitas et afflictio spiritus*.

De his dicit Dominus in Parabolis: *Deliciae meae esse cum filiis hominum (Prov 8, 31)*, quos natura pauperes genuit - *Nudus*, inquit, *egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc (Iob 1, 21)* -, sed malitia divites fecit, quia *qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli (1 Tim 6, 9)*. *Deliciae ergo meae esse cum filiis hominum, non cum filiis daemonum*. O paupertas, odibile bonum filiis daemonum, deliciae tuae aeternae dulcedinis saporem suis praebent amatoribus!

Sequitur: *Et solitudinem eius quasi hortum Domini*. Paupertas solitudinem diligit, quia, ut dicit Isaias: *Habitabit in solitudine iudicium (Is 32, 16)*. Unde Ieremias: A facie manus Domini solus sedebam, quia amaritudine replesti me (Cf. Ier 15, 17). Qui de se iudicium vult agere, necesse est ipsum in solitudine ad minus mentis habitare, de qua Ecclesiasticus: *In tempore vacuitatis sapientiam scribe (Eccli 38, 25)*. Ubi iudicium ibi sapientia, ubi sapientia ibi hortus, idest paradisus, Domini. Et quia paupertas vera semper est laeta, ideo addit: *Gaudium* etc. Ibi dicit GLOSSA: In Sion, quae comparatur paradiso, debet tantum esse gaudium et laetitia, confessio et vox laudis, ut quod in caelo facturi sunt cum angelis, in terra iugiter meditentur.

15. --- Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: *Suscipite invicem sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei (Rom 15, 7)*. Sicut Christus suscepit caecos, ut eos illuminaret, claudos, ut eis gressum praebere, leprosos, ut eos mundaret, surdos, ut eis auditum restitueret, mortuos, ut eos resuscitaret,

pauperes, ut eos evangelizaret; sic in invicem debemus nos suscipere. Si proximus tuus est superbia caecus, quantum in te est illumina oculos eius exemplo humilitatis; si claudus hypocrisi, rectifica eum opere veritatis; si leprosus luxuria, munda eum verbo et exemplo castitatis; si surdus avaritia, propone ei exemplum dominicae paupertatis; si mortuus gulositate et ebrietate, resuscita eum exemplo et virtute abstinentiae; pauperibus vero evangeliza vitam Christi.

Quem, fratres carissimi, humiliter imploremus, ut a supradictis animae infirmitatibus nos curare et ad se ipsum suscipere dignetur. Qui est benedictus in saecula. Amen.

III - De beati Ioannis commendatione

16. --- Sequitur tertium. *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt (Mt 11, 7-8).* Nota. Quid desertum, quid arundo, quid homo mollibus vestitus moraliter significant, videamus.

Desertum est religio. Unde habes concordantiam in Isaia: *Laetabitur, inquit, deserta et invia, et exultabit solitudo et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans (Is 35, 1-2).* In qualibet religione tria sunt omnino observanda, scilicet paupertas, castitas et obedientia. Quae tria in hac auctoritate notantur. Paupertas, cum praemittitur: *Laetabitur deserta;* castitas, cum adiungitur: *Et florebit quasi lilium;* obedientia, cum subinfertur: *Germinans.*

Dicamus ergo: *Laetabitur deserta.* Nota quod, quilibet religiosus, qui veram paupertatem vult habere, tria oportet eum facere: primo, omni exteriori substantiae

renuntiare; secundo, voluntatem aliquid habendi de cetero non habere; tertio, ipsius paupertatis necessitatem patienter tolerare. Haec tria in his tribus verbis: *deserta, invia et solitudo* notantur.

Vita cuiuslibet religiosi debet esse *deserta*, in omni exterioris substantiae abrenuntiatione; *invia*, idest sine via, idest, ut nullum vestigium aliquid habendi in ipsius remaneat voluntate. De his duobus dicit Isaias: *Erit desertum in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur (Is 32, 15)*. Charmel interpretatur cognitio circumcisionis. *Desertum* ergo, idest religio, *erit in Charmel*, idest circumcisionem, quoad substantiae renuntiationem, et substantiae circumcisio *in saltum*, quoad non habendi voluntatem. Quicumque ab his duobus vinculis est ereptus, bene potest laetari et cantare: Anima mea erepta est de laqueo venantium (Cf. Ps 123, 7). *Laetabitur ergo deserta et invia*.

His duobus tertium debet adiungi, ut religiosus sciat esurire et sitire et penuriam pati (Cf. Phil 4,12). Et sic erit *solitudo*, quae tunc *exultabit*, cum haec et his similia patienter sustinebit.

17. --- Sequitur de castitate. *Et florebit quasi liliu*m. Liliu m dictu m, quasi lacteu m, candorem significat castitatis. Unde in Threnis Ieremias: *Nazaraei eius candidiores nive, nitidiores lacte (Lam 4, 7)*. Quibus Dominus promittit in Isaia: *Non dicat eunuchus*, idest qui se propter regnu m caelorum castravit, idest continentiam promisit: *Ecce ego lignu m aridum. Quia hoc dicit Dominus eunuchis: Qui custodiunt sabbata mea*, idest cordis munditiam, quae est sabbatu m pectoris, *et elegerunt quae volui*, idest continentiam corporis, de qua Apostolus: *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestru m vas*, idest corpus, *suu m possidere in honore et sanctificatione (1 Thess 4, 3-4); et tenuerunt*

foedus meum, quod pepigerunt mecum in Baptismo, dabo eis in domo mea, in qua mansiones multae sunt et in muris meis, unde in Apocalypsi: Erat structura muri eius ex lapide iaspide (Apoc 21, 18), qui viridis est coloris, in quo aeternae viriditatis iucunditas designatur, locum, de quo in Ioanne: Vado vobis parare locum, et nomen melius, idest excellentius, a filiis et filiabus, idest quam si filios et filias generassent: nomen sempiternum, de quo in Apocalypsi: Scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis novae Ierusalem et nomen meum novum (Apoc 3, 12). Habebit nomen Dei, quia erit similis Deo, et videbit eum sicuti est (Cf. Io 3,2); Ego, inquit, dixi: Dii estis; nomen Ierusalem, quia pacificus; nomen Iesu, quia salvatus. Nomen ergo sempiternum dabo eis, quod non peribit (Is 56, 3-5), idest nulla oblivione delebitur.

18. --- Sequitur de obedientia. *Germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans.* Nota quod vera obedientia in se habet quinque, quae in his quinque verbis, *germinans* et ceteris, designantur. Vera obedientia est humilis, devota, festina, iucunda et perseverans. Humilis in corde, hoc est *germinans*. Germen initium est floris, et humilitas, omnis bonae actionis. Devota in voce, hoc est *germinabit*. Ex humilitate enim cordis procedit devotio vocis. Festina in iussione, cui concordat *exultabit*. *Exultavit, inquit, ut gigas ad currendam viam (Ps 18, 6).* Iucunda in tribulatione, hoc est *laetabunda*. Perseverans in praecepti adimpletione, et tunc erit *laudans*, quia omnis laus in fine canitur.

O religiosi, tale debet esse nostrae religionis desertum, ad quod de mundi vanitate existis incolendum. Unde vobis Dominus dicit: *Quid existis in desertum videre?*

19. --- Sequitur: *Arundinem vento agitatam?* Arundo dicta est quasi aura ducta vel quasi arida. Nota quod

arundo radicem habet in luto, in quo gula et luxuria; vacua est interius, pulchra exterius, in quo hypocrisis et vanagloria; a vento undique agitur, in quo mentis instabilitas designatur. Infelix illud claustrum, maledictum illud religionis desertum, in quo talis arbor plantatur et crescit, ad radicem cuius arboris securis posita est, ut excidatur et in ignem mittatur (Cf. Mt 3, 10; Lc 3,9). Dicit Dominus in Isaia: *Ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul* (Is 41, 19), non arundinem vento agitatam. In abiete, caelestis conversatio; in ulmo, quae vitem sustentat, proximi compassio; in buxo, qui pallidi est coloris, corporis mortificatio designatur. His arboribus, non arundine vento agitata, igne comburenda, desertum benedictionis, paradus sanctae religionis conseritur et decoratur.

Sequitur: Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? In hoc eodem evangelista legitur, quod *Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem eius erat locustae et mel silvestre (Mt 3,4)*. Videte ergo, obsecro, si nostri temporis religiosi his vestimentis induuntur, his cibis utuntur. *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*. Non dico religio, sed daemonum legio fecit de deserto palatium, de claustrum castellum, de solitudine curiam regalem. Religiosus et miles de eodem panno partiuntur sibi vestimentum. Sed eremi cultor, maximus vatum, de pilis camelorum habuit vestimentum. Si beatus Ioannes, praenuntiatus ab Angelo, sanctificatus in utero, laudatus a Domino: *Inter natos mulierum etc. (Lc 7,28)* tanta fuit usus asperitate, quid nos in peccato concepti, peccatis onerati, a Domino, nisi misericordia affuerit, reprobandi, debemus facere? Quanta afflictione, quanta asperitate nos affligere? In deserto ergo poenitentiae sit vilitas habitus, asperitas victus, ut vere possimus vocari religiosi, idest religati, ab omni scilicet voluptate carnali.

20. --- Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: *Deus autem spei (Rom 15, 13)*. De quo Isaias: *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient (Is 40,31)*. Qui sperant non in se sed *in Domino*, qui est Deus spei, *mutabunt fortitudinem*, ut sint fortes in ipso, debiles in mundo - *Haec est mutatio dexterarum Excelsi (Ps76, 11)* -; *assument pennas geminae dilectionis*, quibus volent ad caelum, *sicut aquilae*. Aquila, secundum PHYSICOS, alliso ad silicem rostro, vetustate nimia aduncato, innovatur. Sic qui vetustatem peccati per petram, quae est Christus, mortificant, mortui mundo innovantur Deo. Renovabitur sicut aquila iuventus tua. *Current* ad apprehendendum aeternae felicitatis bravium, *et non laborabunt*, quia amanti nihil difficile; *ambulabunt* de virtute in virtutem, *et non deficient* quia in aeternum vivent.

Repleat vos omni gaudio; de quo Isaias: *Gaudete cum ea*, idest Ierusalem, *gaudio universi qui lugebatis super eam, ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis eius (Is 66, 10-11)*; *et pace*, de qua Isaias: *Ponam visitationem tuam pacem (Is 60,17)*, *in credendo*, unde Isaias: *Si non credideritis, non permanebitis (Is 7, 9)*, *ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti (Rom l.c.)*, unde Isaias: *Factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine*, idest diaboli suggestionem, *umbraculum ab aestu (Is 25, 4)*, idest carnis tentatione.

Quicumque religiosus fuerit repletus his tribus, scilicet spe, gaudio et pace: spe quoad paupertatem, quae in Deo tantum sperat; gaudio quoad castitatem, sine qua non est gaudium conscientiae; pace quoad obedientiam, extra quam quicumque fuerit pacem non habebit, unde Isaias: *Non est pax impiis, dicit Dominus (Is 57, 21)*; si his fuerit repletus, certus sit quod abundabit in

spe et virtute Spiritus Sancti, ut confidenter habitet in deserto religionis.

Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut arundinis agitationem et vestium mollitiem a nobis auferat, qua in deserto poenitentiae pauperes, casti et obedientes valeamus habitare. Ipso praestante, qui est laudabilis, suavis et amabilis, benedictus et beatus Deus, per aeterna saecula. Dicat omnis religio munda et immaculata: Amen. Alleluia.